Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40034
Copyright: Melk, Benediktinerstift



Incipit regula sancti benedicti abbatis cuius discipulo edita In nomine domini Amen

Ausculta fili mi preceptum magistri. et inclina aurem cordis tui. et admonitionem pii patris libenter excipe. et efficaciter impleas. ut ad eum per obedientiae laborem redeas. a quo per inobedientiae desidiam recesseras. Ad te igitur nunc meus sermo dirigitur. quisquis abrenuntians propriis voluntatibus domino xpo vero regi militaturus. obedientiae fortissima atque preclara arma assumis. in primis ut quicquid agendum inchoas bonum. a deo perfecte instantissima oratione deposcas. ut qui nos iam in filios dignatus est numerare. ne debeat aliquando de malis actibus nostris contristari. Sicut enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est. ut non solum ut irratus pater suos nos aliquando filios exheredet. sed nec ut metuendus dominus irratus malis nostris. ut nequissimos filios perpetua tradat poenae. qui eum sequi noluerint ad gloriam

Expurgam igitur ergo tandem aliquando excitante nos scriptura dicente. hora est iam nos de somno surgere. et apertis oculis nostris adhibeamus lumen. attonitis auribus audiamus. Divina quotidie clamans quid nos admoneat vox dicens. hodie si vocem eius audieritis. nolite obdurare corda vestra. Et iterum Qui habet aures audiendi audiat. id spiritus dicat ecclesiis. Et quid dicat. Venite filii audite me timorem domini docebo vos. Currite dum lumen vitae habetis. ne tenebre mortis nos comprehendant. Et quaerens dominus in multitudine populi cui haec clamet operarium suum iterum dicit. Quis est homo qui vult vitam. et cupit videre dies bonos. Quod si tu audiens respondeas ego. dicit tibi dominus. Si vis habere veram et perpetuam vitam. prohibe linguam tuam a malo et fac bonum. inquire pacem et sequere eam. Et cum haec fecerit oculi mei super vos. et aures meae ad preces vestras. et ante quam me invocetis. dicam ecce assum. Quid dulcius nobis hac voce domini invitantis nos sancti fratres. Ecce pietate sua demonstrat nobis dominus viam vitae.

Accinctis ergo fide vel observatione bonorum actuum lumbis nostris et calceatis in preparatione evangelicae pacis pedibus. praeducatis evangelio per quem ipsum videamus eum et mereamur eum